

## MISZELLEN

### Ad Martialis epigr. IX 67.

Crassis occultata et circumfusa tenebris latere videtur obscenorum illorum versuum sententia. Atque imprimis de enuntiatione illa ‚*illud puerile poposci*‘ (v. 3) et de ultimis versibus (7 sq.) recte explanandis homines litterati dubitant haesitantque. Friedlaenderus quidem rem omnino non explicari posse ratus et tamquam spe deiectus in commentario suo bonae frugis pleno (tom. II p. 88) ad vers. 7 sq. haec adnotavit: ‚Der Sinn ist völlig unklar‘. At Waltharius Gilbert difficultates illas infringere studuit sic interpretatus: ‚Mihi pura fuit (v. 7): ore eius tum cum ego utebar, nondum alius usus erat; hoc munus (v. 8): fellationem; condicione mala (v. 8): puellae ore non iam purae. Der Bedingungssatz ist hinzugefügt, um auszudrücken, dass unter diesen Umständen Aeschylus wohl lieber auf Annahme dieses munus verzichten werde‘ (cf. ‚Beiträge zur Textkritik des Martial‘, Rhein. Mus. XL, 1885, p. 215). Quam opinionem iustis causis refutavit Friedlaenderus, quippe cum secundum Gilberti explanationem versus illi omni festivitate carerent facetiarumque lepore. Praeterea, ut hoc addam, pro adsidua ac multifaria lascivitate puellae, cuius nequitiae Martiale teste a nemine vinci poterant, minime credi potest neminem prius illius ore esse usum. Equidem puto spurcis illis vocibus ‚illud puerile poposci‘ (v. 3) per verborum ambitum enuntiari *pedicationem* (illud, quod alioqui pueris fieri solet). Ultimos autem versus hoc modo enodandos esse censeo: lasciva enim puella ei, qui verba facit — Martialem illum esse neutiquam necesse est existimare — ideo pura mansit (v. 7), quoniam ipse ore puro utebatur. Numquam ille cinaedorum more virorum grandia tenta vorabat (cf. Cat. c. 80, 6) itaque ipse purus puellam non fecit impuram, si eius cunnum lingebat (cf. v. 5) Quamobrem poeta dicit ‚sed *michi* pura fuit‘ (= pura mansit). At Aeschylus, mollis mas, omni madebat spurcitie: quidquid *inrumatus* ille ore attigerat, impurum fiebat. Quare Aeschylo puella lasciva nullo pacto pura poterit manere, si idem ei munus (v. 5 sq.) praestabit, quod praestiterat alteri. Mala est Aeschyli condicio: nam ipsius os, quod inrumationibus tangi solet, impurum est: cf. Cat. 80, 8 labra *notata*; Mart. III 17, 6.

Totius igitur carminis acumen hoc esse arbitramur: poeta hominem quandam inrumatum maledico dente carpit.

Vindobonae.

Mauritius Schuster.

### Berichtigung (zu LXXIV S. 345).

Das ethnographische Material für einen Zusammenhang zwischen dem Mittelmeergebiet und der Küste von Nigeria (das mir ungedruckt vorlag) ist nicht, wie ich infolge eines Missverständnisses angab, in dem angeführten Buch von Ziegfeld veröffentlicht, sondern bei Leo Frobenius ‚Die atlantische Götterlehre‘ S. III ff.

Friedrich Cornelius.

\*

### Zu diesem Band S. 335.

Die Zugehörigkeit von *Mutunus Tutunus* zu ir. *moth* und *toth* hat schon Micheál O'Briain, Zeitschr. f. Celt. Philol. 14 (1923), 325 ausgesprochen.

R. Thurneysen.